



C. 5.

14

THESES PSYCHOLOGICÆ  
De  
**ANIMÆ HUMANÆ**  
**IMMORTALITATE,**  
*de quibus,*  
**Immortali opitulante**  
*Numine,*  
*Præside*  
**M. THEOPHILO ÆNETIO,**  
*Phys. P. P. & h. t. Fac. Phil. Decano,*  
*Respondente*  
**JOHANNE LUTHERO Schallco-**  
*vensi Franco.*  
*Ad diem 28. Januar. publicum à yevnua*  
*instituendum,*  
*In auditorio Majori horis solitis.*

SENECA:  
Quia homines sumus, humanitatem colamus, nemini terrori remini pericu-  
lo sumus, convitia, injurias, & vellicaciones aliorum contemnamus;  
quia, dum respicimus versamusq; nos, immortali-  
tas aderit.



JENÆ  
Typis JOHANNIS WEIDNERI,  
ANNO CICLO CXXII.

THESEPSYCHOLOGIC  
BIBLIOTHECA

ETATIATLONMI

V I R O

Admodum Reverendo, Clarissimo  
ac Excellentissimo,

Dn. CASPARO FINCKIO,  
SS. Theol. Doctori eximio,  
Ecclesiarum in Ducatu Saxo-Coburgiaco  
Superattend. vigilantissimo, Consistorii ibidem.  
Assessori primario, & Illustris Gymnasii  
Casimiriani Scholarchæ ac Pro-  
fessori dignissimo.

Mecœnati suo filiali reverentiâ in æternum ho-  
norando Promotori submissâ devotione  
nunquam non colendo, dispu-  
tationem hanc offert  
humiliter

Johan. Lutherus Resp.



HONORIS MUNDI  
VOLVOS NON CESSANT  
THERMOS VIBRANT  
CEREBUS VIBRANT  
HONORIS MUNDI  
VOLVOS NON CESSANT  
THERMOS VIBRANT  
CEREBUS VIBRANT

# THESES De RATIONALIS ANIMÆ IMMOR- TALITATE.

I.



Vemadmodum in aliis quam plurimis humana natura brutalem multum dignitate exsuperat: ita hac etiam in parte hominum multo quam brutorum cœditio est prestantior & eminentior, quod, bruto quidem perempto, anima simul & corpus interit, homine autem hujus lucis usuræ subtraeto vitaque functo, corpus quidem corrumpitur, putreficit, atque in qua uore clementia abit, anima verò superstes remanet, corruptioni non æquè obnoxia.

Nature  
humana  
prestantia.

2. Nec SS. solum *Theologia*, sed sana etiam *Phi-  
losophia* animæ humanæ immortalitatem adstruit, atque profitetur.

3. Cumque in superioribus aliquot disquisitiō-  
nibus alias præ cæteris insignes humanæ animæ pro-  
prietares persecuti fuerimus, jam ejus etiam à *Phædo* ias-  
seu *albaroias* confirmabimus.

A. 2

4. Quæ

4. Quæ contemplatio tantò nobis debet esse gravior, quantò seges pietatis, & virutis cujuscunque exercendæ, nec non consolationis, hujusc vitæ incommodis opponendæ, inde nobis surgit uberior.

5. Quo in argumento ita versabimur, ut priori loco aliquas *Modus* *Theologicas*, posteriori *Philosophicas* rationes producamus.

6. Differemus autem hinc de anima, qualis ea sit sui ipsius & secundarum causarum ratione, à quibus quodd ad interitum vocari haud possit, manifestum evadet. Nam primæ causæ, Dei scilicet respectu, animam esse destructibilem, nemo quisquam negare potest, cùm ut ille res omnes infinitâ suâ potentiam ex nihilo condidit, sic idem omnes res vicissim facile innihilum, si visum ipsi sit, possit redigere.

*Immortale duplex.*

I.

7. Pertinet proinde huc immortalitatis distinctione, à DD. Connimbr. lib. de anima separata disp. 1. art. 1. allata. Nam, secundum eos, immortale similiquemodo æternum (1.) dicitur de eo, quod nulla, ne divina, quidem potestate, aboleri potest, quod modo solus Deus 2. immortalitatem habere 1. Tim. 6. c. v. 16. dicitur (2.) immortale & æternum dicitur, tale quod est suum per naturam, tametsi id ipsum per potestatem Dei absolutam destructioni sit suppositum. Illud immortale & æternum absolute & simpliciter, hoc relatè & secundum quid immortale & æternum in Metaphys. dicitur.

8. Sed nec hoc dissimulandum; rationes omnes Philosophicas subjungendas non peræquè esse apodicticas, quamvis valde sint probabiles.

*Loca sacra  
Script. animæ  
immortalitatem  
confirmantia.*

9. Testimonia verò è saluberrimis Israeli sacerdotibus petita multò sunt clarissima, iisque omnibus,

quæ fucosa specie veritati opponi possunt, multò fi-  
miora. Expressissima dicta sunt, Ecc. 12. v. 7. Reverta-  
tur pulvis (corpus ex terræ pulvere formatum) in ter-  
ram suam, unde erat (Gen. 2.) spiritus redat ad Deum, qui  
dedit eum. Sap. 3. v. 1. Justorum anime in manu Dei sunt,  
nec tangit illas tormentum mortis. Vise sunt oculis INSI-  
PIENTIUM mori. Matth. 10. v. 28. Animam (impii pio-  
rum persecutores) non possunt occidere. 2. Cor. 5. v. 8.  
Apostolus peregrinari vult à corpore, & esse cum Do-  
mino. Phil. 1. v. 23. Idem dissolui expertit, & esse cum  
Christo. Apoc. 6. v. 10. Interfectorum Martyrum ani-  
mæ introducuntur voce magna clamantes: Usq[ue] quo  
Domine sancte & vere non judicas, & non vindicas sanguini-  
num nostrum de his, qui habitant in terra? Ex quo loco  
præter cætera videre est, piè defundorum anima ste-  
neri amore & desiderio suorum corporum. Et cap. se-  
quentiu. 14. de iisdem dicitur: quod de tribulatione ve-  
nerint magna, quod sint ante thronum Dei, eisq[ue] die ac no-  
ste serviant. Proinde, extincto homine, animæ haud-  
quaquam extinguuntur, nec (ut obiter hoc addatur)  
Epimenideum dormiunt somnum, sed beatissimo Dei  
fruuntur conspectu.

IO. 2. *Spiritualis substantia corruptioni non est  
obnoxia*, quemadmodum apparet in Angelis: Anima  
est spiritualis substantia Ecc. 12. v. 7. Psal. 31. v. 6. Luc.  
23. v. 46. Act. 7. v. 59. Rom. 8. v. 16. Philosophiā hac in  
parte sacræ Scripturæ suffragante.

II. 3. *Nullum divinum est mutabile, multò minus  
corruptibile aut mortale* Jac. 1. v. 17. Anima est divinum  
quid, teste Arate, citante Apostolo, Act. 17. v. 28. Deo-  
rum genus sumus. Quod haud ita quidem est accipien-  
dum, ac si anima essentiam habeat divinam, id quod

alibi à nobis confutatum fuit, sed est divinā, non solum quia à Deo peculiaris ratione, inspirando scilicet, producta, & primo homini communicata, sed etiam quia ad ipsius Dei similitudinem & imaginem (Genes. 2. cap. v. 26. Sap. 2. v. 23.) creata fuit. Complura alia luscultissima, passim in Scripturis divinis in hanc sententiam prodita, hic, brevitatis studio, consuleto prætermittimus, atque ad altioris disciplinæ forum remittimus.

Argumenta  
Philosophi-  
ca pro im-  
mortalitate  
anima.

12. Similiter sinceror Philosophia, præter nōn, etiam rationē insigniter monstrat. Decem argumentis Philosophicam natum expediemus.

I. 13. I. Per cuius cause potentiam substantie primum incipiunt esse, per illius cause oppositam potentiam, eadem esse desinunt: Qua ratione quæ emergunt per generationem naturalem, illæ per corruptionem naturalem rursus naturaliter destruuntur: At anima rationalis per primi Entis operationem (ut è Scriptura sacra Philosophia hoc sibi mutuetur) primum incepit esse, scilicet per creationem. Ergo si illa destrui debet, necesse est, ut à primo Ente rursum in nihilum redigatur.

2. 14. 2. Quodcumq; caret causis corruptionis naturalis illud naturaliter non est corruptibile. Anima caret causis corruptionis, quod hunc in modum probamus. Causæ corruptionis naturalis sunt, partim *materia prima*, quæ propter adjunctam privationem subinde ad alias atque alias formas propendet & ruit; partim, *prima contraria qualitates*, quæ in se mutuò agunt, quarum fortiores minùs fortes interimunt, unde rei corruptio evenit; partim denique *dependentia rei in fieri* & esse à materia corruptibili.

15. 3. Pro-

15. Prōinde quod nō de materia prima, nec  
de primis qualitatibus participat, quod etiam à materia  
corruptibili infieri & esse non dependet, id carer causis des-  
tructio[n]is: Anima nec de materia prima, nec de pri-  
mis qualitatibus participat, quia ipsius simplicitas &  
spiritualitas illa omnia respuit, non etiam in esse &  
fieri à materia corruptibili dependet: E. Anima carer  
causis corruptionis.

16. Quòd anima infieri & esse à materia cor-  
ruptibili (secunda videlicet, quæ h[ic] intelligenda,) non  
dependeat, id ita ostendimus: Quod non educitur  
è potentia materiæ, sed forinsecus accedit, id infieri & esse  
à materia corruptibili non dependet: Anima rationalis  
non educitur è potentia materiæ, vel feminis, sed fo-  
rinsecus accedit, 2. de gen. an. c. 3.

17. Nec solum Aristoteles clare asserit, aliud esse  
animarum genus hominum, quam brutorum, illud  
que solum forinsecus accedere, quia nimis brutorum  
uti & plantarum animæ educuntur è potentia  
materiæ, & hinc corruptibles sunt, animæ autem ho-  
minum è potentia materiæ non eliciuntur, sed in so-  
bolem, mediante generatione naturali, transfruntur,  
unde forinsecus dicitur accedere: sed sacra etiam  
Scriptura ostendit, alio modo primum ortas fuisse bru-  
torum animas, nimis ex elementis, & alio modo  
animam primi hominis, scilicet per inspirationem  
divinam, suum esse accepisse, quod satis argumento  
est, illam è materiæ elementaris potentia non edu-  
cram fuisse, neque adhuc educi, & per consequens ma-  
teria infieri & esse non dependere.

18. Deinde, quod in operando, quo ad vires & fa-  
cultates suas omnes, à corpore non dependet, id nec in es-  
sendo

*sendo ab illo dependet, sed ut propriam habet actionem,*  
*ita à corpore potest separari, & separatum per se subsi-*  
*stere. Nam juxta vulgatum illud, ut unumquodq; sese*  
*babet in operando, ita etiam se babet in effendo, seu, quod*  
*idem est, quod sine corpore potest operari, id etiam sine*  
*corpore ac per se potest subsistere. Nam in Physicis haud*  
*raro ex operatione ipsa rei natura à posteriori cognoscitur, cùm operatio non aliundè, nisi ex natura & es-*  
*sentia rei promanet: Unde que operatione conveniunt,*  
*illa essentiā ipsā quoq; convenire, qua proprijs operationis*  
*bus diversa sunt, illa essentiā ipsā quoq; variare certum*  
*est. At verò anima, quo ad omnes operationes suas, à*  
*corpore non dependet, cùm duum sint generum ani-*  
*mæ potentiarum, aliæ videlicet organicæ, quas anima in-*  
*actum non deducere potis est, nisi interveniente me-*  
*diantēve aliqua corporis parte, ceu organo, qua ratio-*  
*ne anima non efficit visionem sine oculorum, non*  
*auditionem sine aurium, non nutritionem sine ven-*  
*triculi eparis aliarumque partium corporis operâ sub-*  
*sidiariâ; aliæ sunt inorganicae potentiarum, intellectus sci-*  
*licet & voluntas, ad quarum munia exercenda non*  
*absolutè & simpliciter corporis adminiculo aut quo-*  
*dam ejus organo, uti in prioribus, anima opus habet,*  
*qua ratione multa intelligunt & volunt (ut jam præ-*  
*tereantur alii) qui patiuntur ecstasim, quippe in quibus*  
*non modò sentiens, sed ipsa etiam vegetans facultas*  
*planè consopita, sicque anima à corpore penitus velu-*  
*ti avocata esse videtur, qui tamen, quod sine corporis*  
*adjumento multa eminenter cognoscant, intelligent,*  
*exoptent & velint, per experientiam est exploratum*  
*& cognitum.*

19. Nec

19. Nec supernaturales tantum causas habet  
ecstasis, sed à naturalibus etiam potest evenire, quem-  
admodum DD. Connimbr. probant, in lib. 3. de anim.  
c. 8. quest. 8. art. 3. Si ergo citra corporis adjumentum  
animæ possunt operari, possunt etiam sine illo ac per  
se subsistere.

20. 3. *Incorporeum seu spirituale à corporeo nibil  
patitur*: Nam vel qualitates habent contrarias, vel  
materiâ, in qua est contradictionis principium ad esse  
& non esse, convenient, quæ in se mutuò activa & pas-  
siva sunt, cujusmodi sola sunt corporea: At anima  
est incorporea & spiritualis: Ergo à corporeo nihil  
patitur.

21. Si enim anima quiddam esset corporeum,  
tum vel esset cœlestis naturæ, vel quoddam elemen-  
tum, scilicet vel ignis, vel aëris, vel aliquid inter hæc in-  
termedium, ut Peterum quidam falsè censuerunt, vel  
esset quid ex Elementis productum, scilicet vel sa-  
guis, vel spiritus vitalis, ut similiter aliqui voluerunt.  
At horum nullum anima esse potest. Si enim esset ex  
illis aliquid, tum per se esset quanta, seu tria prædicta  
dimensione & divisibilis, quia omne corporeum est  
quantum & divisibile; (quod ideo de anima dici non  
potest, quia quantitas, & quæ hinc resultat divisibili-  
tas, materiæ propriè & per se competit: Anima autem  
non est materia, sed forma compositi) præterea tum  
corpus esset in corpore, videlicet anima in corpore,  
quod informat, cùm tamen per naturam impossibile sit,  
duorum pluriumve corporum dari penetrationem, pene-  
trat autem intimè & undiquaque anima corpus; tum  
denique anima per se esset in loco, quia omne corpus  
in loco est, quod similiter non potest de anima asserti,

B

cum

cum per se quanta & secundum dimensiones com-  
mensurabilis non sit.

22. Deinde si rationalis anima habet operatio-  
nes elevatas supra omnes materiarum, elementorum, &  
corporis conditiones, tum non est materialis, elemen-  
taris, & corporalis, & per consequens nec corruptibili-  
lis. Nam ex effectis cognoscitur causa, & qualis rei est  
operatio, talis etiam est potentia, & talis insuperessen-  
tia: sed habet tales operationes quam plurimas, quia  
ejus beneficio homo ratiocinatur, unumve ex alio con-  
cludit, inter substantiam & accidens, causam & effectum,  
partem & totum, antecedens & consequens, multaque inter  
alia distinguit, prae cognoscit futura, ex multis singularibus  
universale colligit, Deum & alias immateriales substantias  
quadrantentes cognoscit, res materiae immersas à materia  
abstrahit, pueritudinem, ordinem, proportionem, barmissi-  
mam, hujus contraria percipit, & supra actus suos reflecti-  
tur, &c. quæ operationes ut longè vires materiarum, Ele-  
mentorum, & corporum excedunt, ita animam altioris  
naturæ esse satis demonstrant.

4. 23. 4. Appetitus, toti speciei inditus, expleri debet,  
cum à Deo & Natura, quemlibet frustra faciunt, dependeat:  
At omnes homines naturale habent desiderium cognoscere  
diciendivè, i. Metab. i. c. idque nunquam sistitur, quo-  
usque etiam homo in rerum variarum cognitione jam  
sit progressus. Tum autem terminaretur desiderium, si  
homo ens cognosceret, quod omnium entium perfe-  
ctiones in seco cohereret, cujusmodi est Deus. Habet  
præterea homo desiderium felicitatis, cum qua nullum  
malum potest esse complicatum, sed bona conjuncta  
sunt omnia, cujusmodi felicitas in hac vita non reperi-  
tur. Similiter appetitus bonorum aliorum in homine in-  
bas

*bac vita est inextingibilis. Tum autem si explicetur, si ho-*  
*mo bono, quod bona omnia in sece continet (cujus-*  
*modi solus Deus) potiretur. Quod si ergo homo anima*  
*pariter & corpore in morte extingueretur, appetitus*  
*isti illius omnes essent frustranei: quod quia assiri non*  
*poteat, ideo in morte non omnia deperirent & intereunt,*  
*sed restat status aliis, in quo desideria naturae huma-*  
*næ à Deo indita explrebuntur.*

24. 5. Quò magis quid refert & exprimit pro. 5.  
prietas & operationes aliqui jus substatiæ, cù propius  
quoque ad ipsam illius substatiæ essentiam accedit,  
cùm operari sit secundum esse, unde tritum illud natum  
est, prout se quid habet in operando, ita se habet etiam in  
essendo: At rationalis anima proprietas & opera-  
tiones divinas, scil. intelligentiam, justitiam, misericordiam,  
voluntatis libertatem, & similes, post spiritus beatos ma-  
xime refert & exprimit. Quod etiam Ethnorum ali-  
qui non ignorarunt, quippe qui hominem perhibue-  
runt inter animantia solum ad Dei similitudinem esse  
conformatum, Plato in Alcibiade. E anima rationalis  
post spiritus beatos ad ipsum Dei esse, in quācum crea-  
turæ possibile, quām proximè accedit: unde etiam quo  
ad incorruptibilitatem illi erit cognata & similis.

25. 6. Quæ potentia partim falsitatis, partim pra- 6.  
vitatis arguit, atque corrigit aliam, ea altioris est virtu-  
tis, & hinc dubio procul altiore etiam habebit ope-  
randi & per consequens subsistendi modum, quam illa,  
quæ arguitur & corrigitur: At rationalis potentia par-  
tim falsitatis arguit sentientem, ut quando haec solem,  
dicit habere figuram planam, cùm habeat sphæricam,  
eundemq; longitudine esse bipedalē, cùm tamen terræ  
magnitudinem multis partibus exsuperet; partimq;

pravitatis arguit appetitum sensitivum, & corrigit, ut quando is fertur in objecta, vel inclinatur in facta sensibus quidem jucunda, sed tamen vel solum noxia, vel simul etiam foeda & turpia. E. rationalis potentia operandi pariterq; subsistendi modum habebit altiorem, quam sentiens, & appetens.

26. 7. Divina justitia immutabilis exigit, ut boni homines premiis, mali poenis afficiantur: unde gravissime inquit Herodotus: *Nemo hominum delinquens paenam non persolvit.* Et Homerus: *ἔχει θεὸς ἐκθίκον δύμα.* At non raro, experientia teste, accidit in hac vita contrarium. Qua ratione Dionysius, ut apud Cic. est 3. de N. D. nefarius Tyrannus, & derisor Deorum impius, prospera fortuna per omnem vitam fuit usus, & placide tandem in suo lectulo expiravit, regnumque, quod per scelus acquisiverat, reliquit filio: Contra autem Photion, Aristides, Socrates, M. Regulus, aliiq; quam plurimi innocentissimi, in modo benè meriti viri, miserabilib. suppliciis ex hac vita fuerunt sublati. Qualia exempla, quam plurima etiam in Scriptura se nobis offerunt.

27. 8. Quod notitia, hominibus omnibus implantare, dicitur, id est certissimum, cum Deum, quem mentiri impossibile est, habeant authorem: At malefacentibus poenas subeundas esse, benefacentibus præmia esse constituta, notitiae naturales dicitur: quemadmodum in ipsis infantibus appareat, quod de poena sibi metuant, sicubi mali aliquid designarunt. Excruciantur insuper malorum perpetratorum conscientia, & poenarum metu, tum summo loco constituti, ceu Reges & Monarchæ, tum morti jam propinqui, qui ab hominibus nullam poenam possunt affici. An si Ethnici ex naturali rationis lumine Dei justitiam cognoscunt?

cognovissent, non campos Elysios, bonis, nec suppliciorum loca & inferos malis constituisserent.

28. 9. Si anima esset mortalis, sic ut neque castè & integrè in hac vita versanti illum post mortem præmium, nec malè agenti supplicium restaret, tum futurus esset nemo, qui Deum coleret, cùm in hac vita ut plurimum non sine divina providentia, bonis malè, & malis bene sit, nemo insuper esset futurus, qui patriæ & boni publici causa in bello subiret mortem, nemo, qui suis de bonis aliorum causâ propter solam honestatem, (id quod virtutis proprium,) aliquid expenderet, nemo, qui ulli virtuti daret operam, sed tum campus latissimus omni nequitia & improbitati, ceu divini Numinis contemptui, injuriis, perjuriis, fraudibus, rapinis, cœdibus, stupris, & libidinibus improbissimis quibuscumque pateret, tuncque summum malum esset mors, cuius evitandæ causâ nulla non esset suscipienda ratio. Nec tanti tum facienda esset ignominia, quanti vitæ jaætura, siquidem unâ cum hac, bona hominis omnia, ipsaque simul virtus, virtutisque præmium, honor scilicet, aliaque illi debita, perirent.

29. 10. Nulla virtus se & subjectum suum destruit 10. (id quod mali proprium est) sed potius perficit: At, si anima esset mortalis, quædā virtus se & subjectum suum, animam videlicet fortitudo in bello, religio itidem & justitia, pro quibus asserendis & defendendis multi operierunt mortem, destrueret, tumque summa hominis perfectio, quæ in virtutum usu consistit, totalis ejus esset perditio & eversio, tumq; omnino esset satius curare regionem, quam religionem, colere genium, quam ingenium, implere ventrem quam mentem. Unde etiam Augustinus 6, lib. Confess. ultimo cap. inquit:

*Si animatus mortalis es, Epicurus palnam in meo habebit  
animo.*

*Summorum  
virorum  
testimonia:*

30. Ultimò sententiam nostram de animæ immortalitate stabilivint summorum virorum, *Platonis*, *Aristotelis*, *Ciceronis*, *Seneca*, & plurimorum aliorum gravissima testimonia, ex quibus quam paucissima maximo è numero apponemus.

*Platonis.*

31. *Platonis: lib. 10. de Rep.* An ignoras (inquit) animam nostram esse immortalem, & neūtiquam (à corpore separata) perire? *In Antiecho: Transi nō in mortem, Antioche, sed in immortalitatem, non in amissionem bonorum, sed in sinceriorem eorum perceptionem &c.* ubi multa etiam habentur de impiorum piorumque vita funitorum statu multūm diverso. Similia sunt in *Phædone*, *Phædra*, *Gorgia*, *Menone*.

*Aristotelis.*

32. *Aristoteles* animam asserit immortalem, 2. *de gen. an. c. 3.* Relinquitur mentem solam forinsecus accedere, tamque solam divinam esse. Nihil enim cum ejus actione communicat actio corporis. 2. *de an. c. 2. t. 21.* Videtur hoc animæ genus esse diversum, idque solum, perinde ut perpetuum ab eo quod occidit, se jungi separarique potest. 3. *de an. c. 5. t. 20.* Separatus (intellectus) id solum est, quod est, atque id solum est immortale atque perpetuum, 1. *de an. c. 4. t. 65.* & 66. Intellectus advenire videtur, & substantia quædam esse, & non corrumpi. Nam ab ea maximè, quæ in senectute fit, obfuscatione corrumperetur (si corrumperetur.) Non autem perinde sit (cum intellectu) atque in sensuum instrumentis (quæ in senectute corruptiora evadunt.) Etenim si senex talem acciperet oculum, qualem juvenis (habet) videretur juvenis. Quare senectus non est, (ex eo) quia anima quicquam est passa, sed quia id, in

in quo anima est, (corpus) siquid passum est, quemadmodum in ebrietatibus & morbis fieri solet. Et ipsum igitur intelligere & contemplari marcescit, tum in sensibus, tum in ebriis, tum in iis, qui morbis aliquibus, ceu mania, afficiuntur, qui corrupte de rebus judicat,) quia aliud quiddam intus (in aut de corpore) corruptitur, ipsum autem (intelligere vel intellectus) passio ne vacat. Item: Intellectus autem divinum quid est, passioneque vacat. Quorum locorum expositio & argumentorum inde, pro animæ immortalitate probanda, deductio videatur in tractatu de anima à me publicè proposito.

33. Quo etiam spectant testimonia, quibus Aristoteles intellectum immistum seu à materia aut corpore independentem, & inorganicum profitetur, ut 3. de an. c. 4. t. 4. Necesse est, intellectum, cum universalia intelligat, non mistum esse. Et 1. 6. Quocirca neque ipsum cum corpore mistum esse, consentaneum est rationi. Et c. 5. t. 18. Intellectus separabilis est & non mixtus, passioneque vacat. Lib. 12. Metaph. (juxta Latinorum suppositionem) c. 3. dicitur: Mente quidem non esse posse ante corpus, attamen remanete (post destructionem compositi) nihil prohibere, cum actionem habeat separatam à corpore,

34. Et quid aliud innuit Aristoteles, quando lib. 1. de part. an. c. 1. querit: Sicutne Physici negotii de omni tractare anima? quam quodd præter animas materiæ immersas, de que ejus potentia educatas, (naturalia, ceu eorum naturæ & formæ, constituentes corpora, & hinc Physicæ considerationi suppositas,) sit alia, quæ à materia non dependeat, sed ab hac separata ac per se subsistat, nullumque informet corpus, quæ hinc ad altiorem, quam Physica est, disciplinam pertineat. Unde postmodum ibidem concludendo subdit: Constat igitur non de omni anima differere oportere, (Physicum) quandoquidem non omnis anima Natura est: ubi per animam, quæ natura, & hinc Physicæ considerationis non est, intelligit rationalem eam, quæ, dissoluto jam composite, remanet, & neutquam tum interit, sed separata à corpore, ad modum spiritualium substantiarum, per se subsistit.

35. Quod verò ab aliquibus aliqua ex Aristotele producuntur loca, quæ probare videntur, sententiam illum fuisse contrariam, & mortalem animam statuisse, eam in sinistrum ab illis torqueri sensum, in discurso nitemur ostendere.

Ciceronis.

36. Cicero animæ abbasias clarissimè, multisque in locis profitetur. Lib. de amic. Non iis assentior, qui hæc nuper differere cœperunt, (in persona Læly inquit) eum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum authoritas valet, & majorum nostrorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profectò si nihil ad eos pertinere arbitrarentur, Ibidem: Idem semper dicebant (Socrates, & alii Græcorum sapientes) animas hominum esse divinas, iisque, cum è corpore excessissent, redditum ad cœlum patere, optimo justissimoque cuique expeditissimum. Item: Optimi cujusque animus in morte facilimè evolat. Similia habentur in somnio Scipionis: (Ævo semipaterno fruuntur beati. Item: Sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc) in Tusc. quest. 2. de leg. in oratione pro Cajo Rabirio, & pro Sestio &c.


Senecæ.

N  
O  
T  
A

37. Seneca non minus præclaræ sententiaz sunt. Ep. 102. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Item: Intrepidus horam illam decretoriam (mortis) prospice: non est animo suprema, sed corpori. Item: Dies iste, quem tanquam extremum formidas, æterni natalis est. Item: Aliquando (in futuro ævo) Naturæ arcana tibi detegentur, discutietur ista caligo, & lux undique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille sit fulgor, tot syderibus (in cœlo) lumen inter se miscentibus. Nulla serenum umbræ turbabit, æqualiter splendebit omni cœli latus. Dies & nox infimi aeris vices sunt. Tunc in tenebris vixisse tecum dices, cum totam lucem & totus aspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscurè intueris, & tamen illam admiraris. Quid tibi videbitur DIVINA LUX, cum illam suo loco VIDERIS?

38. Ex quibus hactenus allatis satis, dubio procul, claret, illos, qui mortalem censuerunt animam, turpiter à janua, quod dicitur, aberrasse, ad brutorum & belluarum sortem semet putillanimes & degeneres abjecisse, atque bono imortalitatis se indignos demonstrasse.

MC



Uff 5688




3

St


VD 17

W





**Farbkarte #13**



THESES PSYCHOLOGICÆ

De

# ANIMÆ HUMANÆ IMMORTALITATE,

*de quibus,*

Immortali opitulante  
Numine,  
*Præside*

M. THEOPHILO ÆNETIO,

Phys. P. P. & h. t. Fac. Phil. Decano,

*Respondente*


JOHANNE LUTHERO Schallco.  
vieni Franco.

*Ad diem 28. Januar. publicum a jwvnua  
instituendum,*

*In auditorio Majori horis solitis.*

SENECA:

Quia homines sumus, humanitatem colamus, nemini terrori remini peri-  
culo sumus, convitia, injurias, & velticationes aliorum contemnamus:  
quia, dum respicimus versamusq; nos, immortali-  
tas aderit.



JENÆ  
Typis JOHANNIS WEIDNERI,  
ANNO CIC 13 CXXII.